

miseram civitatem, dum Sarraceni circa spolia rapienda et divitias intenderent et currerent. Plurimos vero in ore gladii et sagittis occiderunt christianos et plurimos captivos ducentes, vendiderunt, in servitutem redigentes. Et prophanantes sancta loca et ecclesias et libros sacros dissipantes et paramenta sacra suis indumentis et uxoribus appropriantes, divinum cultum denigraverunt et extinxerunt. Abbas vero maioris monasterii se-nectute multa confectus, totus calvus, a Sarracenis captus, dum fidelis Christo firmus persisteret, capssidem ingnitam, ferventem in eius capite miserunt, et tali incendio bonus pastor occisus migravit ad Dominum; et plures alii monachi, clerici et layci et diversorum ordinum, martirio Deo nati fuerunt. De discipulis beati Francissci VII fratres Minores, dum ipsi constantes in fide Christi alios confortarent, a Sarracenis duro martirio trucidati fuerunt. Monasteria vero monialium sancti Benedicti et sancte Clare et aliarum Sarraceni frangentes, oves illas velud lupi rapaces depasti sunt et disperserunt et plures in stuprum¹ et in prostibulum deputaverunt. [Plurime² vero constanter recusantes peccare, cese fuerunt, convolantes ad Christum]. Et sic spoliata civitate, domos et predia inter se dividentes et distribuentes, Sarracenis repleverunt et abhominabilem cultum et legem pseudhoprophete Magumeth in ea instituerunt. Et sic civitas illa Tripulitana, olim Christo fidelis, facta est meretrix intra³ prostibula publica constituta. [De⁴ ecclesia sancte Marie. Venerabilis autem ecclesia gloriose virginis Marie, que de Turre dicebatur, sita in Tripoli, et ecclesia sancti Marchy euangeliste in burgo Tripolis et alie ecclesie a Sarracenis depredate fuerunt, et clerici, sacerdotes et monachi occisi et fugati sunt, et fratres Minores et aliorum ordinum.] Proditor vero princeps cum suis sequacibus muneribus ditati a soldano, in Babillone collocatus est et frater⁵ eius princeps Numidicus. Omnia vero castra et oppida regionis, fugatis christianis, Sarraceni occupaverunt. Qui vero ab hac sede fugerunt, ad civitatem Achon venerunt et in Cyprum, luctum et gemitum et lamentationes lugubres facientes et omnes christianos ad gemitum provocantes.

De plantu ecclesie.

Auf dem untern Rande von f. 133. mit anderer Tinte dieses hinzugefügt, welches sich an einen Randzusatz auf f. 132'. anschliesst.

Quomodo rex Karolus obsedit Messanam, et Petrus Aragonie occupavit Syciliam.

Et cum putaret se in Barbaria modicum lucrari, consilio

1) 'struprum' Hs. 2) Am Rande mit anderer Tinte ergänzt. 3) Un- deutlich (eiŕea? Hs.). 4) Das Eingeklammerte auf dem oberen Blatt- rande mit anderer Tinte hinzugefügt. 5) 'inter'? Hs.